



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum IX. Certificari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

aut impedimento, censetur etiam concessa media necessaria ad finem, ita ut nemo impediatur. *argum. L. 3. §. 3. de servitutibus pradiorum rusticorum. Qui habet haustum, id est, jus aquam hauriendi ex puteo, iter quoque habere videtur ad hauriendum; & paulò post, in jure hauriendi inesse & aditum. Consentit Lex 2. ff. de jurisdictione omnium judicum.*

CAPITULUM VII.

De uxore.

PARAPHRASIS.

Sicuti maritus, ita non minùs uxor liberam sibi eligendæ Sepulturæ potestatem habet, quia Sepulturæ electio, quæ fit ab uxore, in illud tempus reuertitur, & secundùm eum statum, in quo mulier soluta est à lege viri.

SUMMARIUM.

Dispositio iudicatur valida, vel invalida secundùm tempus, in quod effectus conferitur.

Notandum. Dispositio iudicatur valida, vel invalida secundùm tempus, in quod ejus effectus conferitur. Ita etiam docent DD. in *L. in tempus 62. ff. de hereditibus institutendis, & lib. 5. tra. 10. p. 2. c. 7. n. 4.* docui, quòd valet dispositio, quæ fit in tempore inhabili, si effectus conferatur in tempus habile; & vice versâ non valet dispositio, quæ fit tempore habili, si effectus conferatur in tempus inhabile, *L. 4. C. de donationibus ante nuptias.* ubi dicitur, non valere donationem factam sponsæ, si ejus effectus conferatur in tempus matrimonij, ita ut tunc effectum sortiatur. Valet tamen donatio ante vel post nuptias facta sponsæ, aut conjugii, si ejus effectus conferatur in tempus matrimonij soluti per mortem. *L. cum hic §. 1. & §. si sponsus ff. de donatione inter virum & uxorem.* Vide, quæ

docui *lib. 3. tra. 4. c. 12. q. 2. & quod dixi lib. 4. tra. 4. c. 7. assertione 2. & 6.*

CAPITULUM VIII.

Cum super.

PARAPHRASIS.

Si Cathedralis Ecclesiæ parochianus in sibi Ecclesia eligat sepulturam, quæ canonica ex pijs in testamento relicta debetur Cathedrali.

SUMMARIUM.

Ecclesia Cathedrali, si sit Parochialis, debetur quarta Canonica ex mortuarijs.

Notandum. Ecclesia Cathedralis quandoque etiam est parochialis, & tunc debetur ei quarta canonica ex mortuarijs relicta Ecclesiæ, in qua parochianus sepelitur, ita tamen, ut ex eisdem relicta etiam Episcopo sua portio tribuatur, *requisisti 15. de testamentis, & iterum portio, seu quarta quarta, quæ pervenit ad Ecclesiam Cathedrali tanquam parochiam, idque propter unionem, quæ est inter Cathedrali & Episcopum; quam eò modo Ecclesiæ, in qua sepultura fuit, relicta 100. aurei, Episcopus habebit 20. Ecclesiæ Cathedralis 5. Ita docet *Joan. Andree 2. Abb. hic n. 8. & in c. requisisti in jure.**

CAPITULUM IX.

Certificari.

PARAPHRASIS.

Privilegia quandoque à Sede Apostolica Clericis non parochialibus, v.g. Regularibus, conceduntur, habentia hanc clausulam *salvâ justitiâ earum Ecclesiarum (videlicet parochialium) à quibus mortuorum corpora assumuntur.* De hac clausula, quomodo intelligenda sit, diverſa Pontificum responsa prædierunt; nam alij intellexerunt, esse dimidium, alij tertium, alij

alij quartam portionem canonicam & justam: at verò Clemens III. hinc respondet cum *S. Hieron. in epistola 28. ad Lucinum*, qui refertur in *o. uinam 11. dist. 76.* quòd unaquæque provincia abundet in suo sensu, & idèò attendi debet ad rationabilem cujusque diœcesis consuetudinem.

SUMMARIUM.

1. *Iuxta Regionis consuetudinem censetur legislator verba dispositionis accepisse.*
2. *Clausula nonnunquam non expresse in privilegijs, tacitè tamen intelliguntur.*
3. *Consuetudo loci observanda in portione canonica parochiali Ecclesie solvenda.*

Notandum primum, Cujusque dispositionis auctor censendus est verba accepisse secundum regionis consuetudinem, & ita quidem, ut jus alteri competens minimè lædatur: quamobrem si in privilegio ita positum sit, concedimus vobis jus sepeliendi, servatâ justitiâ, seu jure portio- nis debitæ parochiali Ecclesie, attendi tunc debet, quanta portio juxta loci cujusque rationabiliter præscriptam consuetudinem parochiæ debeatur.

Porrò tamen si clausula hæc *salvâ justitiâ*, in privilegio non exprimitur, tamen tacitè intelligitur, uti bene hinc docet *Abb. n. 10.* propterea, quòd privilegia quatenus cedere possunt in aliorum præjudicium, seu juris derogationem, strictam interpretationem habeant, sicuti traditur in *Gl. c. eximarum. de auctoritate & usu palij*: præsertim si illud jus competat ex Lege publica: quòd pertinet *L. si quando 30. C. de inofficioso testamento*, ubi dicitur, si alicui concessa sit liberè testandi facultas, ita esse explicandum, quòd testamenti factionem habeat legitimam, & consuetam; testari enim debet modo, & solemnitate legibus requisita, quia credendum non est, Principem, qui jura tuetur, hujusmodi verbo, li-

berè, totam testamentorum observationem evertere voluisse.

Notandum secundum. In portione Canonica parochiali (sicuti & in Episcopali) spectanda est cujusque loci consuetudo: sed & omninò per consuetudinem, seu præscriptionem temporis immemorialis sine titulo, vel 40. annorum cum titulo colorato, contra Episcopum, vel parochiam portiones Canonice abrogari posse, videre licet apud *Sylv. F. Canonica portio n. 3. Melin. tra. 2. disp. 215. n. 7. & dixi lib. 3. tra. 5. c. ult. propè finem*, quòd regulares aliqui, videlicet Cistercienses, nihil solvant, alij autem tantum oblationes funeris ejus diei, quo sepultura est.

CAPITULUM X.

In nostra.

PARAPHRASIS.

Cùm Procurator Hospitaliorum Claramontensis Diœcesis contenderet, licere illis ex speciali privilegio Parochianos Montis Ferrandi, præter Excommunicatos & Interdictos, qui sepulturam apud ipsos elegerint, ad illam recipere, & fideicommissa in testamento relicta accipere, solutâ tantummodo quartâ parochiali Ecclesie, de qua corpora mortuorum assumentur, præterquam de equis & armis: pronuntiavit Pontifex, Hospitalarios non debere recipere Parochianos Montis Ferrandi, nisi, qui apud ipsos elegerint sepulturam; & tunc debere Parochiali Ecclesie de relicta à defuncto (præterquam de equis & armis) quartam partem; residuum Hospitalarios habere, nisi dolus aut fraus intercesserit. Præterea ipsdem injunxit restitutionem quartæ de tribus millibus solidorum, quos à Parochianis illis eos recepisse constabat. Item ut restituerent, quæ perceperunt ex relicta cujusdam occisi, nisi probasset, quòd apud ipsos sepulturam elegerit; alioquin quartam solum partem darent.

Quæ